I, R, II, 134.
h. 25, 7.
X 1876032
II k 1554

# JUS MAJESTATICUM IMPERATORIS ROMANO-GERMANICI IN REGNO GERMANICO,

SUB PRÆSIDIO

DN. D. HEINRICI SAMUELIS ECCHOLDI,

SOLENNI DISPUTATIONE

DEFENDET

GEORGIUS CHRISTOPH. à Braun/ Eqves Miſn.

*AUCTOR & RESPONDENS,*

Ad diem XXX. Septembris, M. DC. LXXXVII.

*H. L. Q. C.*

---

*LIPSIÆ,*
Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

Uni. Schmidt.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0001-5

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0002-0

# PROOEMIUM.

INter eos, qvi tàm è vetuſtis qvàm recentioribus de Majeſtate Imperatoris Romano-Germanici ſcripſiſſe deprehenduntur, haud paucis idem accidiſſe videtur, qvod per fretum Siculum navigantibus evenire ſæpenumerò ſolet. Dum enim Imperatoris moderni autoritatem unicè ad Leges Romanas à Juſtinianô compoſitas exigere qvidam voluerunt, non potuére non, qvaſi in famoſum Scyllæ ſcopulum alliſi, eò evehere poteſtatem Cæſaream, ut Ordinibus Germaniæ nil niſi nudum ſubordinati Magiſtratus nomen ac dignitatem relinqverent; Cum è contrario nonnulli, haud ſecus ac vorticoſa Charybdis voragine abrepti, ad Taciti ævum Majeſtatem ſummorum Germaniæ Principum expendentes, illis Jus ſvadendi magis qvàm jubendi aſſeruerint. Hinc priores neceſſariò concurrentem Statuum vim in rebus Imperii Majeſtaticam negare; poſteriores autem in Sacratiſſimâ Cæſaris perſonâ neſcio qvod inane μορμολύκειον fingere ſibi oportuit. Cauſam hujus rei ſi qvæſiveris, non aliam fuiſſe dixerimus, qvam qvod illi ex prin-

cipiis planè alienis formam Regiminis Germanici dijudicarint, hi verò, domeſticis & genuinis etiam neglectis, pro variô, qvô ducti ſunt, adfectu, præprimis autem factis qvibusdam, qvæ aliqvô Juris prætextu ab unô vel alterô hodienum ſæpiùs pingi ac colorari ſolent, faſcinati, peculiarem ſibi Reipublicæ Germanicæ ideam in mente ſuâ conſtruxerint. Utrumqve errorem valdè periculoſum ut in hâc qvali qvali opellâ fugeremus, ſolicitè cavimus. Sacram qvippe Germaniæ Regis Majeſtatem paſſim vindicamus, eô tamen Procerum Imperii jura ac libertatem ampliſſimâ non deprimimus, ſed potiùs in tutô collocamus Et qvî potuiſſemus aliter? cùm inſtar cynoſuræ nobis ſemper fuerit ſuſpiciendum illud Palladium LL. Imperii publicarum, ſine qvibus loqvi, ceu veræ nec ſimulatæ Jurisprudentiæ Cultores decet, erubuimus. Hinc neqve nos piguit ipſiſſima verba Receſſuum, Capitulationum, ac Inſtrumentorum Pacis bonâ fide ubiqve allegare, ut cuivis conſtet, nos à regiâ hac via nunqvam disceſſiſſe. Cæterùm ingenuè profitemur, & ambabus argimur manibus, nos complura, qvæ pro ubertate ac dignitate hujus materiæ dici merebantur, aliorum induſtriæ reliqviſſe, cùm intra cancellos Speciminis Academici nobis fuerit ſubſiſtendum: Qvod qvidem, ut B. L. æqvi boniqve conſulat, etiam atqve etiam rogamus.

§. I.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0004-1

§. I.

DE *Jure Majeſtatico Imperatoris Romano-Germanici in Regno Germanico* acturi, præmittemus ab initiô terminorum explicationem, ne illâ omiſsâ in rebus ipſis hallucinemur.

§. II.

Vocabulum *Juris* ſumitur nobis hîc pro attributô perſonæ, h. e. pro qvalitate morali, perſonæ competente ad aliqvid juſte habendum vel agendum. Dum autem *Majeſtaticum* dicimus, non intelligimus qvalemcunqve præeminentiam cum aliqvali ſaltem poteſtate jubendi conjunctam, qvô ſenſu Valerius Maximus *Majeſtatem patriam a)* Tacitus *Majeſtatem Fecialem b)* Paulus JCtus *Majeſtatem Prætoriam c)* dixit; Neqve ſolùm dignitatem in Republicâ ſummam, excluſâ omni poteſtate, qvam multi Auguſtiſſimo Cæſari noſtro tribuunt, ſed eam ipſam, qvæ Ariſtoteli ſæpius τὸ κύριον, & Juvenali *d) Diis æqva poteſtas* dicitur, h. e. ſupremam poteſtatem, cum exqviſitiſſima dignitate indiſſolubili vinculo copulatam. Hanc enim, nec aliam Cæſari noſtro competere, ſalvis interim Statuum Juribus, ex poſteà dicendis clariùs adparebit.

*a) Lib. 7. c. 7. num. V.*
*b) Annal III. cap. 64.*
*J. & J.*
*c) l 11. ff. de J. & J.*
*d) Satyr. IV. v. 71.*

§. III.

Subjectum hujus Juris Majeſtatici conſtituit Imperator Romano-Germanicus. Accipimus autem vocabulum Imperatoris non pro *priſcô erga Duces honore, qvi bene geſtâ Republicâ gaudiò & impetu victoris exercitus conclamabantur e)* ſed pro ſummô in Republica Principe, qvem Græci Αὐτοκράτορα vocant, ita tamen, ut vocabulum Imperatoris Romano-Germanici non in ſenſu reduplicativô, ceu loqvuntur Scholæ, ſed in ſenſu ſpecificativô hic ſimul à nobis ſumatur. Is qvippe, qvi imperat

*e) Tacit. Annal. III. cap. 74.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0005-6

Germanis, eſt qvidem Imperator Romanus, id qvod vult ſibi vocabulum *Romano-Germanici*: ſed non, qvatenus Imperator, imperat Germanis, ſed tantùm qvatenus eſt Rex Germaniæ. Sicuti enim morali in corpore unum idemq; individuum humanum, diverſâ ratione conſideratum, plurium populorum, qvi ſinguli perfectum cœtum conſtituunt, adeoqve diverſorum corporum caput eſſe poteſt: *a*) ita qvatuor diſtincta munia ſuſtinet electus ab Electoribus Imperator, nempe IMPERATORIS ROMANI propriè ſic dicti, REGIS ITALIÆ, REGIS GERMANIÆ, & REGIS ARELATENSIS, qvæ totidem relationes ad totidem regna dicunt.

*a*) *Grotius de J. B. & P. Lib. 1, cap. 3. n. 7.*

§. IV.

*Primum* eſt IMPERIUM ROMANUM propriè à Româ urbe, domina olim gentium ita adpellatum, non qvidem antiqvum illud & latè patens, qvod Trajanô imperante, ab ortu Tigrin, à Meridie deſerta Lybiæ in Africâ, ab occaſu Oceanum Atlanticum, & à Septentrionibus Scotiam & Rhenii Danubiiqve fluvios & ſi qvid ultra hunc in Dacia fuit acqviſitum, pro terminis habebat; ſed reſidua illa Occidentalis Imperii pars in Italiá, à Langobardis & Saracenis ſeculô poſt Chriſtum natum VI. VII. & VIII. in anguſtiſſimos limites redacta, qvam Carolus M. Francorum Rex, præcipitante ſeculo octavô primitus belli jure nomine *Principis* (omnia qvippè præter urbem Romam Deſiderius Langobardorum Rex occuparat *b*) poſtmodum verò ineunte ſeculô IX. vi transactionis inter ipſum & Nicephorum, Imperatorem Conſtantinopoli ſedentem, firmatæ, ſub *Auguſti* Titulô accepit. Complectebatur hoc Exarchatum Ravennatenſem, pomœria Romæ urbis, & Pentapolin, qvorum omnium civitates latius exponit Sigonius *c*) his verbis: *Exarchatus* com-

*b*) *Sigon. de Regnô Italiæ ad An. Chriſti 772. p. m. 83. & 89.*

*c*) *de Regn. Ital. ad Ann. 755. p. m. 80.*

*complexus eſt Ravennam, Bononiam, Imolam, Faventiam, Forum Popilii, Forum Livii, Cæſenam, Bobium, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Ficoclas & Gabellum; Pentapolis verò Ariminum, Piſaurum, Concham, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Humanam, Æſium, Forum Sempronii, Montem Feretri, Urbinum, Territorium Balnenſe, Calles, Luceolos & Eugubium cum caſtris, & finibus ad hæc oppida pertinentibus.* Has terras cum urbe Româ ejusqve agrô, hinc usqve ad Sipontum, illinc usqve ad Neapolin per dictam transactionem unicè Carolus titulo *Imperatoris & Auguſti* accepit, cæteris omnibus intra fines Regni Langobardici, cujus jam jam Rex factus erat Carolus, ac Græci Imperii conſtitutis. Hoc Imperium deniqve poſt Carolum Craſſum, Caroli M. pronepotem ad Italos iterum principes devenit. Romani n. qvi occaſionem ad translationem Imperii in Carolum M. dederant, illud qvidem familiæ Nationis Germanicæ Carolinæ, neqvaqvam verò ipſi Germanicæ genti detuliſſe videntur. Hinc, cum linea Maſculina illius ſtemmatis Carolini legitima, in Carolô Craſſo penes Germanos eſſet extincta, (Arnolphus qvippe ſucceſſor Craſſi, Ludovici Germanici ex Carolomannô nepos, nothus erat) Gallorum vero Reges, qui ex ſtirpe Caroli M. legitima adhuc ſupererant, tunc decus Imperii vindicare ſibi negligerent, ac temporis ſucceſſu penitùs pro derelicto haberent, integrum eſſe putavit ſibi Pontifex cum Senatu populoq; Romanô ex Italis iterum ac Burgundis Principibus Imperatores eligere. Hinc Guidonem, (cui Arnolphus Germaniæ Rex non qvidem jure ſucceſſionis ab agnatis aſcendentibus & collateralibus ad ſe devolutô, ſed *proprio*, ſc. belli jure ſucceſſit) Lambertum, Ludovicum IV. Boſonis filium, & Berengarium I. Imperatores ſucceſſivè

unxit;

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0007-7

unxit; qvorum nomina tamen, qvaſi vitio facti ac Papales tantum Principes fuerint, à plerisqve Hiſtoricorum vulgò omittuntur, in eorum locum Ludovico IV. Arnolphi filiô, Conrado I. & Heinrico I. Aucupe, Germaniæ Regibus, qvi tamen nullum jus ad Imperium Romanorum (niſi hîc aliqvid dicto Ludovico IV. ob Arnolphum patrem tribuere velis) habere potuerunt, nec illi unqvam præfuerunt, non ſine inſigni Regni Germanici cum Imperio Romano confuſione, ſubſtitutis. Hos Italos Imperatores excepit diuturnum maximè Interregnum, qvod ab Anno Chriſti 923. XXXIX. integros annos duravit, qvô Roma urbs impotenti dominationi Marociæ cujusdam, Paparum proſtibuli, diu ſuccubuit. Ab hâc Principatus pervenit ad Albericum ejus filium, qvi ipſe urbis Conſul, mutatione memorabili nomen Conſulum, Præfecti urbis, ac Tribunorum plebis renovavit. Rem omnem alias à paucis recentioris ævi Scriptoribus traditam enarrat Sigonius his verbis: a) *Eodem Annô Marocia Alberti Marchionis mortui uxor, qvæ diu in Imperiô fuerat, privata vivere neſciens, Vidoni Tuſciæ Marchioni nupſit, atq; urbis Romanæ ad eum Principatum, qvi fuerat Alberti, traduxit, eumq; ad cœptas inimicitias cum Pontifice exercendas incendit.* Et paulò poſt: *Poſtero annô Marocia qvietis impatiens, Vidonem, maritum ſuum impulit, ut Johannem Pontificem, cujus adhuc vehementi erat odio inflammata, de ſede dejiceret, atq; optatum urbis Principatum utiq; ſibi adſcisceret.* Idem paucis interjectis: *Vidone indè paulò poſt ex rebus humanis ereptô, frater ejus Lambertus, Tuſciæ ditionem excepit. Marocia verò, ne qvid de priſtinâ ſuâ potentiâ in urbe amitteret, novis ſibi conſulendum nuptiis rata, Hugonem Regem miſſis nunciis invitavit ad matrimonium ſuum, & urbis Imperium capeſſendum.* Et iterum:

*a) de Regn. Ital. ad A.C. 926. & 928. p. m. 156. & ſeqq.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0008-2

iterum: *Hugone profectò Albericus Conſulari poteſtate civitatem adminiſtravit, Conſulum renovatum Romæ nomen efficit, ut mutatam ſub hoc tempus Rempublicam arbitrer. Romani certè Regibus Pontificibusq; contemptis novum ſtatum civitatis invexiſſe, hâc tempeſtate videntur: argumento eſt, qvod ducis, aut magiſtri militum Magiſtratus, à qvibus Exarchis ac Pontificibus, civitatem tenentibus, urbs Romana diu eſt gubernata, per hæc tempora celebrari deſiit, ac pro eis Præfectus urbis, Conſules & Tribuni plebis inducti ſunt, qvi Decarchonum nomen tulerunt.* Huic interregno finem attulit Otto I. Rex Germaniæ, in auxiliũ à Romanis contra Berengarium II. Italiæ Regem evocat9, qvi illud jure belli A.C. 962. acqviſivit, & poſt biennium, nempe A.C. 964. ſolenni inter ipſum & populum Romanum pacto, Jurejurando ab hôc firmatô, Germaniæ regno ita in perpetuum conjunxit, ut qvicunq; à Germanis poſteà in Germaniæ Regem eligeretur, idem eâdem electione Imperator Romanis eſſet. Et hoc ipſum jus Imperatorium adhuc hodie poſſident Reges Germaniæ, hujusqve ratione ſunt & ſalutantur *Imperatores Romani:* qvamvis qvietô ejus exercitiô per ſummam Pontificum Romanorum injuriam à ſeculô XI. usqve in hodiernum diem, reclamantibus licet ſemper Imperatoribus, excluſi fuerint.

§. V.

*Alterum* eſt REGNUM ITALIÆ, qvod olim à Gente Langobardorum *Langobardicum* audiit. Exortum illud eſt ſub præcipitium ſeculi VI. imperante in Oriente Juſtino II. qvi Narſeten, Ducem ac Pro-Regem Italiæ ab Anteceſſore Juſtiniano I. Oſt-Gothis iterum ereptæ, contumelia afficiens, eò ipſum adegit, ut totus vindicta flagrans Langobardos ex Pannonia in Italiam evocaverit. Venerunt illi & torrentis qvaſi impetu maximam Italiæ Se-

ptentrionalis partem occupaverunt, annoqve 570. peculiare regnum ibi conſtituerunt, cujus regia ſedes fuit Papia ſeu Ticinum. Duravit hoc inter varia cum Romanis, qvi per Exarchos, Conſtantinopoli Ravennam miſſos, ægrè reliqva Italiæ tuebantur, bella, ad 200. & qvod excurrit annos, usqve dum victricibus Francorum armis A. C. 774. ipſius Caroli M. auſpiciis, capto Deſiderio, Regum ultimo, ſubjugaretur. Permanſit illud regnum à Francia & Imperio Romano propriè ſic dicto diſtinctum penes Francos usqve ad obitum Caroli Craſſi, poſt qvæ tempora iterum Italis ac Burgundiæ Principibus ceſſit, donec Otto I. Germaniæ Rex illud A. C. 953. devicto Berengario II. Italorum ultimo, jure belli qvæſivit, qvæſitum ipſi Berengario primum clientelari jure permiſit, mox ei ad vomitum reverſo, tandemqve capto ob Feloniam jure dominii directi ademit, ademtumqve poſteà ad omnes in Germania ſucceſſores transmiſit. Continet hoc regnum Mediolanenſem, Mantuanum, Mutinenſem, ac Parmenſem Ducatus, maximam partem Toſcaniæ, & qvicqvid præterea Veneti hodiè terræ continentis in Italia poſſident. Idem adhuc hodiè longisſimi temporis poſſeſſione ita eſt firmatum, ut Germaniæ Reges, utpotè legitimi Reges Italiæ, non parvam ibi obtineant poteſtatem: Id qvod patet ex compluribus actibus Majeſtaticis, ibi exercitis, ſcilicet controverſia Florentina ſub Maximiliano II. qvâ de Thuanus *a*) conſtitutione Vicarii *b*) expeditione, auſpiciis Ferdinandi II. Imperatoris contra Carolum Gonzagam, Niverni Ducem, ſuſcepta, ut & iis, qvæ ſub Ferdinando III. in cauſa Ducis Mutinæ & Regii contigere *c*), nec non qvamplurimis feudorum renovationibus & inveſtituris, de qvibus vide Inſtrumentum Pac. Cæſareo-Gallicum §. 92. & ſeqq. Ut & Capitulat. Leopold. Art. 39.

Addatur

*a*) *lib. 46. ad A. C. 1569. p. m. 941.*
*b*) *Capit. Leopold. Art. IV.*
*c*) *Dn.* Schurtzfleiſch *in Diſput. de diviſion. Imperii Carol. §. 76.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0010-4

Addatur R. I. de A. 1641. §. 88. ubi: Vaſallen in Italien. Jungatur Dn. Strycke in Appendice ad Exam. Jur. Feudal. p. 369.

§. VI.

*Tertium* eſt GERMANIÆ REGNUM, qvod ſibi jam conſtiterat, anteqvam ipſi Italia & Romanum Imperium ab Ottone I. uniretur. Initium ejus ponimus in A. C. 842. qvo qvippè per famoſam illam diviſionem inter Ludovici Pii filios, Veroduni factam, hoc regnum à Franciæ Occidentalis & Italiæ regnis, ut & Imperio Romano propriè ſic dicto, in tantum fuit avulſum, ut proprium ac diſtinctum Regem in Ludovico Germanico, Ludovici Pii filio ſecundo-genito acceperit, nemini in terris ſubjectum. Ex eô qvippè tempore res ſuas à jam dictis Rebuspublicis planè ſeparatas habuit Germania. Et qvamvis ſub Carolo Craſſo, Ludovici Germanici filio natu minimo cæteris iterum jungeretur, manſit tamen Reſpublica planè diſtincta, eoqve mortuo ſumſit ſibi ſuum Regem, Arnolphum, Carolomanni, primogeniti Ludovici Germanici nothum, qvi & Imperium Romanum ſibi poſteà qvæſivit, à qvo tamen mox iterum ad Italos devenit, Ludovico IV. filio ejus; Conrado I. & Heinrico Aucupe Germaniæ tantum regno ſucceſſivè præſidentibus.

§. VII.

*Qvartum* deniqve eſt REGNUM ARELATENSE, ab *Arles* urbe Galliæ Narbonenſis ſic dictum, qvod jam ſeculo V. à Burgundionibus ibi erectum, poſtmodum à Clodoveo, qvinto Francorum rege, deſtructum, denuò à Carolo Calvo Imperatore A. C. 877. fuit reſuſcitatum, creato Rege Boſone, Judithæ uxoris fratre: Qvod deinde Ottone I. imperante clientelare factum fuit regno Germaniæ, ac tandem à Rudolpho, regum ultimo, Henrico II.

 Im-

Imperatori, eoqve defuncto, Succeſſori ejus Conrado II. ut proprium tranſcriptum. Comprehendit illud Delphinatum Provinciam, Sabaudiæ Ducatum, Pedemontium, Comitatum Burgundiæ, & tractum Helvetiorum. Nec alio qvam Vaſallagii jure Galliæ Reges partes qvasdam hujus regni poſſident, qvod tamen hodiè de facto amplius agnoſcere nolunt. Vid. latè Beatus Conringibus de finibus imperii cap. X. XIII. XXIV. XXV. Certè adhuc in Comitiis Imperii propter terras Arelatenſis Regni comparet Dux Sabaudiæ, *a*) uti videre eſt vel ex ſubſcriptione noviſſimi R. J. de A. 1654. ubi: Carln Emanueln Hertzogen zu Saphoie / zu Cablaiß / und zu Augſt / Printzen zu Piemont / Graffen zu Genff / zu Rhemont und zu Nieza / Herrn zu Preſt und Aſt: Johannes Baptiſta de Bigliatoribus Comes à Lucerna, ejusqve valle conſiliarius intimus. Et in præſentibus Comitiis nomine ejus præſentem eſſe Dominum Malletti teſtis eſt Hagemeier de Comitiis Imperii Germanici p. m. 23. Probat inſuper adhuc viventem in hoc Regno Germaniæ regum poteſtatem alienatio Pigneroli (qvam urbem in confiniis ſitam alii ad Italiæ Regnum referunt) in Galliæ regem facta, de qva vide Inſtrument. Pac. Cæſareo-Gallicum. Art. 72.

*a*) *Dn. Schurzfleiſch diſp. de diviſ. Imp. Carolini §. 76.*

§. IIX.

Hæc qvatuor Regna, ut ſic loqvamur, *concorporata* & conjunctim ſumpta, vulgari & recepto more loqvendi *Imperii Romani* titulo efferuntur. Certè nemini temerè ignotus eſſe poteſt conſvetus Curiæ ſtylus, qvo Imperator diplomata ſubſcribere ſolet: Unſerer Reiche / des Römiſchen ꝛc. Des Böhmiſchen ꝛc. Des Ungariſchen ꝛc. In qvo *Imperii Romani* vocabulum omnia hæc qvatuor regna includit, qvippè qvibus unico electionis actu Cæſar præficitur. Teſtatur diſertè hoc ipſum ipſe Ferdinandus II.

Impe-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0012-5

Imperator glorioſiſſimæ memoriæ in Triplica Sereniſſimo Electorum Collegio, Ratisbonæ A.C. 1630. exhibita, qvam citat Limnæus *a*) his verbis: Sintemahl das Corpus Imperii Romani aus vielen unterſchiedenen Provintzen/ ſonderlich aber dreyen Königreichen/ nehmlich den Teutſchen/ Italiäniſchen und Galliſch-Arelatiſchen zuſam̃en geſetzet. Qvin ſub hac generali appellatione expreſsè Germana qvoqve comprehenditur: id qvod vel ex ſola ordinatione politica Friderici III. Imperatoris (qvam alii rectius hujus nominis V. vocant) de A. 1442. patet, in qva haud longè ab initio hæc habentur verba: Wenn wir nun in Anbegin unſers Regiments auch itzund / und nach unſerer Königlichen Krönung eigentlich und mannigfaltig unterwieſen ſeynd und vernommen haben/ daß in dem heiligen Römiſchen Reich/ und ſonderlich in teutſchen Landen ꝛc. Suntqve illa IV. regna ratione juris adhuc hodiè penes gentem Germanicam, & ſicuti diverſis titulis ac temporibus acqviſita; ita *unius* qvidem, ſed non *unô* per omnia regimine ſemper adminiſtrata fuêre, cujus rei fidem faciunt.

*a*) *in Mantiſſa ad Capitul. Ferdinand. II.*

I. *Diſtinctæ Coronationes* qvatuor diſtinctis diadematibus, Aqvisgranenſi, pro regno Germaniæ, Mediolanenſi, pro regno Italiæ, Romano, pro Imperio Romano, & Arelatenſi, pro regno Burgundico qvatuor diſtinctis vicibus ac temporibus perfici ſolitæ. De Romana qvippè, Mediolanenſi & Germanica res certa eſt: Arelatenſi verò inſuper coronari ſe fecerunt Conradus II. Heinricus III. Fridericus I. & Carolus IV. teſtante Conringio *b*)

II. *Diſtincti Archi-Cancellariatus.* Sic Archi-Cancellarius regni Germanici eſt Elector Moguntinus, regni Italici & Romani Imperii (hic enim duplicem ſuſtinet perſonam pro duplici hâc Republica *c*) Elector Colonienſis. Per regnum Arelatenſe Elector Trevirenſis.

*b*) *in Aſſertion. Juris Moguntin. in coron and. Rom. Reg. p. 4.*

*c*) *Conring. diſp. de Septemviris ſ. Elector: Imp. Germ. §. 43.*

III. *Diſtincti Vicariatus.* Ita Vicarius generalis per Italiam ſeu regnum Italiæ eſt Dux Sabaudiæ. Capit. Leopold. Art. IV. Per Germaniam Vicarii ſunt ex A. B. *a*) Saxo & Palatinus Electores, qvorum ultimo tamen hodiè ex Inſtrument. Pac. controverſia movetur ab Electore Bavariæ. In Imperio Romano propriè ſic dicto Vicarii partes agere Pontificem Romanum, adſerit Dn. Schurtzfleiſch de diviſione Imperii Carolini. §. 76. Nec caruit Arelatenſe regnum ſuis Vicariis. Sic ex Gagvino & Vignerio probat Limnæus *b*) Gallum ad vitam ab Imperatore Carolo IV. in regno Arelatenſi Vicarium eſſe conſtitutum, cui deindè Rupertus Imperator filium ſuum Ludovicum præfecit. Floruit ille Vicariatus adhuc tempore Friderici III. Imperatoris, de qvo ita Goldaſtus in præfatione der Reichs-Handlungen: Anno 1444. ließ Kayſer Friedrich/ als die Eydgenoſſen die Stadt Zürch belägert/ Ludwig den Delphin aus Franckreich/ als den Heilverwandten und Vicarii auffmachen/ und zu Hülffe und Entſchüttung der belägerten Stadt des Reichs zu Arles begeben. Qvin etiamnum hodiè hunc Vicariatum in Sabaudia & Pedemontio, ut & in civitatibus & Diœceſibus, Lugduni, Matiſconi & Gratianopoli, utpotè portionibus regni Arelatenſis exercet Dux Sabaudiæ. *Videantur literæ inveſtituræ Vicariatus, à Carolo V. Imperatore, & ſucceſſoribus in Imperio Carolo Sabaudiæ Duci ejusqve ſucceſſoribus conceſſæ, qvas exhibet Auctor Diarii Europæi part. 1. p. m. 715.* Hic autem Vicariatus ipſe planè diverſus eſt à Vicariatu per Italiam Generali, qvem idem ſuſtinet Sabaudus, ac de qvo ipſi controverſia intercedit cum Duce Mantuano, ceu accuratè oſtendit Dn. Schurtzfleiſch Diſp. de diviſione Imperii Carolini Theſi 76.

IV. *Diſtincti Tituli*, qvibus hodienum utuntur Imperato-

a) *cap. V.*

b) *Add. ad Jus Publ. lib. I. c. 9.*

peratores. Dicunt enim ſe expreſſe *Imperatores Romanos*, ac deinde *Germaniæ Reges*. Italiæ qvidem & regni Arelatenſis titulos diſtinctos nondum ſibi adaptaverunt; Qvod verò id Jure optimo maximo fieri poſſiit, præcedentia ſatis ſuperqve arguunt.

§. IX.

Qvamvis autem ſecundum dicta in omnibus his IV. Rebuspublicis adhuc ſalvum habeant electi Germaniæ Reges jus ſuum, & in multis ſatis luculenter poteſtatem majeſtaticam exerceant; attamen, relictis *R*omano Imperio & Italiæ ac Arelatenſi regnis, hac vice tantum Jus Majeſtaticum Imperatoris, in qvantum eſt *R*ex Germaniæ, ſecundum hodiernas & noviſſimas præcipuè conſtitutiones, ſolicitius paulò rimabimur. Ut autem hoc eò aptius fiat, definimus Jus Majeſtaticum in genere cum *A*riſtotele, (paucis tantum mutatis, & Cathedræ noſtræ adaptatis,) qvod ſit *jus ſummum, civitatem ubiqve ad finem propoſitum regendi. Per jus regendi* ſignificamus poteſtatem ſeu ἐξουσίαν, tam in *actu primo* (ἐν κτήσει) qvam *actu ſecundo* (ἐν χρήσει) conſideratam. Per *ſummum* intelligimus tale, qvod in terris non habet ſuperius, cujus vi iſtius actus irriti poſſint reddi. *Civitas* nobis eſt ſocietas perfecta plurium hominum, beatitudinis civilis cauſa congregata. *Finis propoſitus* eſt vel imperantium vel parentium utilitas. Et qvidem hæc iterum vel ex æqvo, vel unius primario, alterius verò ſecundario: *Ubiqve* denotat tam univerſalitatem, qvam plenitudinem ac perpetuitatem imperii. Definimus, enim perinde ac Ariſtoteles, hîc jus majeſtaticum plenum, univerſale, perpetuum & abſolutum, tanqvam principale ac primarium *A*nalogatum.

§. X.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0015-1

§. X.

Eſſentiam igitur Juris Majeſtatici in ſummitate Imperii conſtituimus, qvæ omnem dependentiam ab alio ſuperiore imperante in his terris excludit. *Naturalia* Juris Majeſtatici ſunt vel *Internum*, vel *Externa*. *Naturale Internum* eſt unicum nempè *Irrevocabilitas*. Eſt enim hoc planè ἀχώριστον, ſeu inſeparabile, nec poteſt ſalva Juris Majeſtatici eſſentia ab eô abeſſe. *Naturalia externa* & χωριστὰ ſeu ſeparabilia ſunt IV. nempè *plenitudo*, *univerſalitas*, *perpetuitas* & *τὸ abſolutum*. Hæc enim omnia Juri Majeſtatico qvidem natura inſunt, & tacitè illud conſeqvuntur, ita tamen, ut ſalva ejus eſſentia, ſcilicet ſummitate, pactis poſſint mutari.

§. XI.

*Primum* naturale Juris Majeſtatici externum eſt *plenitudo*. Eſt enim Jus Majeſtaticum totum qvoddam poteſtativum, ratione qvidem eſſentiæ homogeneum, ratione Objecti verò heterogeneum. Qvælibet enim pars ejus eſt ſumma, qvamvis illæ partes pro objecto varient. Duplex autem eſt iſta plenitudo, *materialis* & *formalis*. Plenitudo *materialis* eſt complexus omnium jurium majeſtaticorum qvaſi materialium. v. g. Juris LL. ferendarum, juris belli & pacis, juris fœderum, juris tributorum &c. qvatenus ſcilicet ut potentiæ qvædam morales in actu primo qvieſcunt, ac totum integrale analogum conſtituunt. Plenitudo vero *formalis* eſt complexus omnium jurium majeſtaticorum *formalium*, qvæ aliàs & vulgò ſub materialibus intelligi ac comprehendi ſolent, melioris tamen doctrinæ cauſa hic ab iis ſeparantur, ſuntq; tria, nempè *Jus deliberandi* de ſummis Reipublicæ negotiis; *Jus ſtatuendi* ac *Jus ſtatuta exeqvendi*: Et qvidem hæc omnia *proprio* jure; non *vicario*, *verô*, non *ſimulato*

&

& *imaginario*. Hæ partes majeſtatici juris formales ita perambulant omnes partes materiales, ut in ſingulis earum poſſint ac debeant concipi: Siqvidem nulla ex iis ad effectum deduci poteſt, niſi his tribus, non ſecus ac ſpiritu qvodam animetur. Plenum igitur jus majeſtaticum eſt poteſtas, qva qvis partes materiales & formales omnes tàm κτήσει qvàm χρήσει habet, nec ab una illarum excluditur. Inde ex natura oppoſitorum facile liqvet, qvod & minus plenum jus majeſtaticum vel ratione partium materialium, vel formalium tale intelligatur, ſitqve talis poteſtas, qva qvis vel nõ omnes partes materiales, vel non omnes formales κτήσει & χρήσει habet, ſed ab horum aliqvibus eſt excluſus. Differt hoc ipſo jus majeſtaticum plenum à jure majeſtatico *abſoluto*, qvod iterum duplex eſt; vel abſolutum *ſimpliciter*, vel abſolutum *ſecundum qvid*. Jus majeſtaticum abſolutum ſimpliciter tale, eſt poteſtas, qva qvis *omnes* partes & materiales & formales *ſolus* absqve ulla prævia conditione ex pacto, cum aliis facto, reſultante habet ac exercere poteſt: Abſolutum verò ſecundum qvid jus majeſtaticum eſt poteſtas, qva quis *qvasdam* ſaltem vel materialium vel formalium partium *ſolus*, vel ſine vel ex pacto cum conditionibus qvibusdam poſſidet, ac exercere valet. Hinc in apricô eſt, qvod phraſes: *Jus Majeſtaticum plenum habere* & *Jus majeſtaticum plenum habere ſolum*, nobis neutiqvam æqvipolleant. Sicuti autem juri majeſtatico nõ repugnat partes ejusdem materiales in varia ſubjecta dividi: ita minimè abſurdum eſt, illarum unam vel alteram eſſe penes qvosdam *indiviſim*, ita tamen, ut partes formales nihilominus *diviſim* obtineant. Sic e. g. Jus belli poteſt eſſe penes plures *indiviſim*, ita tamen qvoad partes formales *diviſim*, ut omnibus qvidem jus de bello deliberandi & ſtatuendi

competat, uni verò ex illis ſoli jus exeqvendi relinqvatur.

§. XII.

*Secundum* naturale juris majeſtatici externum, qvod ex ſummitate fluit, eſt *univerſalitas*, qvæ vel ratione *perſonarum*, vel ratione *rerum* conſiderari poteſt. Regulariter enim jus majeſtaticum ad omnes perſonas & res, qvæ in ejus territorio ſunt, porrigitur; poteſt tamen per pacta fieri, ut qvædam perſonæ & res ejusdem virtuti eximantur, ſalvo nihilominus qvoad cæteras ſummitate. Ita reges Religioni Pontificiæ addicti habent utiqve in regnis ſuis jus majeſtaticum, qvamvis univerſalitas ratione perſonarum ac rerum Eccleſiaſticarum à Jove Vaticano (qvo jure qvâve injuria hic non diſceptamus) qvibusdam ſit adempta.

§. XIII.

*Tertium* Naturale Juris Majeſtatici externum eſt *perpetuitas*, qvæ itidem ſalvo eo abeſſe poteſt. Ita Dictator olim apud Romanos primis temporibus habebat Majeſtatem, qvamvis illa iterum elapſo ſpatio ſemeſtri ex voluntate populi Dictatorem creantis, non qvidem ex revocatione, ſed ipſo jure exſpiraret. Eqvidem nos non latet, qvod Bodinus, & cum eo alii non infimæ notæ Politici ſummum Imperium penes Dictatorem fuiſſe negent: ſed invito Livio, apud qvem *a*) Appius Claudius; *Age dum*, inqvit, *Dictatorem, à qvo provocatio non ſit, creemus;* cujus ſententiam etiam vicit. *b*) Apud eund. *c*) *Qvintius Conſul dictabat ſe Conſulum Comitia non habiturum, non ita civitatem ægram eſſe, ut conſuetis remediis ſiſti poſſit: Dictatore opus eſſe Reipublicæ, ut qvi ſe moverit ad ſollicitandum ſtatum Civitatis, ſentiat, ſine provocatione Dictaturam eſſe.* Primarium eqvidem præſidium diſſentientes ponunt in facto M. Fabii, qvi à Papirio

*a*) *Lib. 2. ab U. C. Cap. 29.*
*b*) *id. eod. Lib. Cap. 30.*
*c*) *Lib. III. Cap. 20. ſub finem.*

rio Dictatore Tribunos plebis adpellavit, & ad populum provocavit. *d)* Sed ſi hoc ipſum caput XXXIII. cum XXXV. probe conferatur, manifeſtiſſime deprehendetur, adpellationem ac provocationem iſtam ad populum à Fabio factam fuiſſe in hunc modò finem, ut Tribuni & populus *intercederet.* Donatus enim dicitur à dictatore Q. Fabius, *Tribunitiæ poteſtati precarium non juſtum auxilium ferenti. e)* Qvamvis interim non negemus, poſterioribus temporibus ſummum Imperium iterum Dictatoribus ademptum & provocationem ad populum conceſſam fuiſſe. Qvoniam igitur Dictator Romanus habuit Jus ultimæ provocationis, utiqve habuit Jus Majeſtaticum, & ſic ſuperior fuit populo Romano. Accedit, qvod Dictatoris edictum pro numine fuerit obſervatum, cui etiam paruerunt ipſi Conſules, ipſeqve Jure aggratiandi, (ceu vocant) polluerit, uti diſertè teſtatur Livius. *f)* Adeò autem perpetuitatem à Majeſtate abeſſe aſſeveramus, ut, ſi vel ad unicam horam vel diem qvis eligatur à populo in Regem non ſolo nomine talem, intrà iſtud ſpatiolum temporis, qvicqvid ex officio ageret, Regio & Majeſtatico Jure egiſſe verè cenſeri deberet, cum hîc non tàm diuturnitas qvàm ſumma autoritas imperandi conſideranda veniat. Rectiſſimè enim dicit Hugo Grotius *g)* qvod duratio rei naturam non immutet. Et qvi illum immutare poſſet, cum ſit aliqvid extrinſecum & accidentale tantùm? Certè infans anniculus non minus eſt homo ac ſexagenarius ſenex: Neqve Imperium ſummum, qvod antè hos XX. & qvod excurrit annos Regibus in Daniâ acqviſitum, minus ſummum eſt, qvam qvod hactenus Galliæ Reges à Ludovico XI. per duo ſecula exercuerunt. Temporarium igitur Jus Majeſtaticum verè tale eſt, non tamen idem cum *revocabili.* Illud enim *proprio* nomine exercetur, & elapſo tempore vi pacti *ipſo*

*d) Id. Lib. VIII. Cap. 33.*

*e) dict. cap. 35.*

*f) Lib. VIII. c. 32. 4. & 35.*

*g) Lib. I. d. J. B. & P. cap. III. §. 11. num. 2.*



*jure*

*jure* deſinit, ac ad illum, à qvo collatum eſt, redit, ita, ut ad deſtructionem ſui nullâ revocatione indigeat: Revocabile autem Jus Majeſtaticum *alieno* nomine exercetur, & eſt *Vicarium* ſaltem, Præſupponit enim eum, à qvo revocari, adeoqve alterius voluntatis humanæ arbitrio irritum reddi poteſt. Id qvod cum ipsâ Majeſtatis formali ratione pugnare, ſuprá (§. 10.) diximus. Summatim ut dicamus, Jus Majeſtaticum revocabile non eſt *in Dominio*, ſed *in Exercitio* tantùm, ac omninò tale, qvale hodiè Pro-Regibus Neapolis, Sardiniæ, Siciliæ, Hiberniæ ac Norvvegiæ regnorum, à Regibus Hiſpaniæ, magnæ Britanniæ & Daniæ datur. Qvod proinde non eſt Jus Majeſtaticum propriè, ſed tantum *æqvivocè* ſic dictum.

§. XIV.

*Qvartum* porrò Juris Majeſtatici naturale externum eſt τὸ *Abſolutum*. Qvod ſi enim populus vel uni alicui, vel paucis Majeſtatem detulerit, neqve ſibi aliqvam, partium Juris Majeſtatici vel materialium vel formalium cum electis ſimul exercendam reſervaverit, tacitè ſeqvitur τὸ abſolutum. Ita, ut deindè unus ille, vel pauci ſoli, excluſis cæteris in Republica civibus, imperent.

§. XV.

His præſuppoſitis, ad ipſum Imperatoris Romano-Germanici Jus Majeſtaticum, qvod ut Rex Germaniæ in regno Germanico habet & exercet, acceſſum facimus. Ubi notamus, qvod Germania noſtra ſit talis civitas, qvæ ex pluribus partialibus qvaſi Rebuspublicis conſtat, qvæ in unam compagem coaleſcentes, unius ſupremi capitis arbitrium devotè venerantur. Hoc caput autem nemo alius eſt, qvàm ipſe Rex Germaniæ Auguſtiſſimus, qvem definimus, qvod ſit *perſona habilis* (h. e. Princeps, Chriſtianus, Laicus (A.B. Cap. 2.) *ex Germanico ſangvine immedia-*

*tè*

*tè ortus, nec admodum juvenis:* Qvæ duo ultima tamen magis ex jure non ſcripto qvàm ſcripto derivanda ſunt) *ab octo Electoribus in regimen Germaniæ ſupremum legitimè ac ſub certis conditionibus, ſolenni Capitulationis pacto comprehenſis, ad ſalutem totius Reipublicæ absqve reſpectu alienæ mortis electa.* Eodem qvidem actu Electionis Rex Germaniæ Imperio Romano propriè ſic dicto, nec non Italiæ & Arelatenſi regnis præficitur; ſed qvia hic ab illis abſtrahimus, & Regem Germaniæ tantùm ut talem conſideramus, noluimus hic qvicqvam eorum definitioni noſtræ inſerere.

§. XVI.

Habet igitur hîc Rex Germaniæ (qvi pacta fundamentalia ab Octovirali Electorum Collegio ſui & omnium Statuum nomine de modo imperandi conſcripta, & ſolenni Jurejurando à ſe firmata, accipiendo, tàm arcto vinculo cum membris & Statibus connectitur, ut ſublatis iis, neq; is amplius caput, neqve hi membra poſſint adpellari, niſi æqvivocationibus velis ludere) non nudum ac titulare & ratione ſolius præeminentiæ ac dignitatis ſic dictum, ſed *verum* Jus Majeſtaticum, tùm, qvia actus ipſi9 Regii nullius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſunt de jure reddi; tùm, qvia in præfatione Capitulationis Leopoldinæ hæc habentur verba: Zu Ehr und Würden des Römiſchen Königlichen Nahmens und Gewalts erhoben/ erhöhet und geſetzet ſeyn. Agnovit id etiam Sereniſſimus Elector Saxoniæ apud Lundorpium *a*) his verbis: Wenn Ihre Majeſtät nur in zwey oder drey Caſibus reſervatis zu judiciren hätte/ was das vor ein Keyſer ſeyn würde? denn es wäre ja ein Keyſer nicht Ehrent halben alleine/ ſondern das Haupt im Reiche/ und hätte den Ständen zu gebieten/ und Sie zu entſcheiden. Et qvia iſtud Jus Majeſtaticum verum eſt, utiqve etiam

*a*) *Tom. I. Lib. I. cap. 1. p. 6.*

 pror-

prorſus eſt *irrevocabile:* Neqve enim de eô revocando, vel in Capitulationibus, vel alibi in legibus Imperii qvicqvam cautum. Ad exempla hîc fruſtrà provocatur, qvia iſtæ Imperatorum depoſitiones in creperis admodum Imperii rebus, nec non Paparum ſæpius inſtinctu factæ ſunt. Wenceslaus autē Imperat. non depoſitus, ſed qvod ipſe imperii curam dereliqverit, & ſic ſpontè ſua regimini renunciaverit, declaratus eſt. Ex ſupinâ qvippe & incorrigibili ejus negligentia Electores conjecerunt, *eum & Eccleſiæ & Chriſtiani orbis, imprimis autem Sacri Imperii curam depoſuiſſe:* verba ſunt ipſius ſententiæ, ceu vocatur, exauctorationis, qvam, prout vulgò exſtat, exhibet Urſtiſius. *a)* Ut taceamus, & in hac ipſa autoritatis Pontificiæ mentionem fieri, cujus violentiæ & fraudes in procurandis Imperatorum depoſitionibus ex ſuperioribus ſeculis ſatis ſuperqve notæ ſunt.

*a) Tom. 2. Scriptor. Germanicor. p. m. 180.*

§. XVII.

Deinde & Rex Germaniæ *Plenum* Jus Majeſtaticum habet, cum nulla ejusdem pars ſive materialis, ſive formalis poſſit nominari, à qva ſit excluſus, ſed potius ubiqve concurrit, & qvidem, ut inter Proceres omnium eximius atq; digniſſimus, ſine cujus nutu atq; auctoritate Ordines Imperii, ne qvidem conjunctim ſumti, in rebus totius Imperii, aliqvid Majeſtatice poſſunt. *b)* Qvod ipſum Jus Majeſtaticum plenum indicat formula in R. I. conſveta; Aus Keyſerl. Macht und Vollkommenheit/ qvæ qvamvis pro varietate temporum variam ſortiatur interpretationem, attamen tantum abeſt, ut inane aliqvod ſimulacrum, & certam modò ſcientiam ſignificet, ut potius arguat ipſam poteſtatem legislatoriam, ceu recte oſtendit Bœclerus *c)*.

*b) Vid. Excellentiſſ. JCt. Dn. Nicol. Chriſtoph. Lyncker in diſput. de forma ſ. ſtatu Sacri Rom. Imp. p. 52.*

*c) In animadverſioni-*

§. XVIII.

Deniqve habet etiam Rex Germaniæ Jus Majeſtaticum,

cum *ſecundum qvid abſolutum*, dum partes qvasdam materiales & formales ſolus habet; easqve vel ſine, vel cum conditionibus qvibusdam exercet, ceu mox latiùs ſumus oſtenſuri. Jus verò Majeſtaticum *ſimpliciter abſolutum*, & κατ' ἐξοχὴν ſic dictum tribuere ipſi non poſſumus, qvia ex pacto Capitulationis Jure Naturæ obligatur, ut admittat ſtatus ad qvasdam partes Juris Majeſtatici materiales & formales, qvas ſibi in delatione Imperii cum Cæſare ſimul & indiviſim habendas expreſſe reſervarunt, nempe ad *deliberationem* ac *deciſionem*. Et hoc ipſum vult famoſus ille Articulus VIII. §. 2. gaudeant, Inſtrument. Pacis Cæſareo-Svecici, in qvo Ordinibus liberum jus ſuffragii & conſenſus in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii expreſſe aſſeritur: Ut hinc illi rectè de Majeſtate participare, & *CoImperantes* dici mereantur. Et propter hoc ſæpenumerò Ordines Imperii in Receſſibus: Ordnen und ſchlieſſen / ipſiq; Receſſus Römiſcher Königl. Majeſtät / und des Heil. Reichs Ordnungen dicuntur. vid. Inſcriptio der Ordnung des Regiments zu Augſpurg Anno 1500.

bus in Hippolit. à Lapide p. 194.

## §. XIX.

Interim hoc ipſo §. gaudeant &c. non ipſum Jus Majeſtaticum, neqve ipſius plenitudo materialis & formalis, neqve univerſalitas, neqve perpetuitas, neqve τὸ ſecundum qvid abſolutum, ſed tantum τὸ abſolutum ſimpliciter Regi Germaniæ ademptum eſt, qvatenus nempè propter partes qvasdam Juris Majeſtatici ab Ordinibus ſibi expreſsè reſervatas ad hoc, ut Rex decretis Ordinum vim ac executionem addere poſſit, *antecedenter* & per modum conditionis, reqviritur liberrimum prævia deliberatione ſuffragium & conſenſus Ordinum: qvo ipſo ſatis cavetur ipſorum libertati ac amplitudini, dum hoc unicè impedit, qvo minus Rex Germaniæ ſe Monarcham *ſimpliciter abſo-*

*lutum*

*lutum* poſſit dicere, hoc eſt, ita ſe gerere, ut ſtatus vel planè à Juribus Majeſtatis excludat, vel etiam, contra ipſorum decreta, e. g. aliam legem univerſalem, in qvam, ut lex fieret, non conſenſere, vel aliud qvippiam ipſis obtrudat. Tertia autem pars formalis, jus nempè Decreta Statuum proprio nomine exeqvendi, ſoli Regi eſt relicta; Ita enim in R. I. de anno 1564. §. 29. Und wollen Wir als Römiſcher Keyſer ꝛc. dieſe Conſtitution exerciren / würcklich vollziehen / und die Verbrecher zu demſelbigen Straffen / unnachläßlich anhalten. Nec obſtat, qvod ſæpius in R. I. occurrant formulæ: Uns und dem Reiche / Unſer und des Reichs wegen; Ex qvibus & ſimilibus aliqvis in eam ſententiam devenire poſſet, ac ſi ad executionem Ordines qvoqve ſimul concurrerent. Nam nihil aliud innuunt iſtæ, qvàm arctiſſimam illam inter caput & membra unionem, cujus vi neqve caput ſine prævia deliberatione ac conſenſu membrorum aliqvid executioni dare, neqve membra ſine aſſenſu & adprobatione capitis qvicqvam in potioribus totius Imperii rebus peragere poſſunt. Neqve enim concipere Regem Germaniæ poſſumus, qvin ſtatim tot Sereniſſimorum ac illuſtrium membrorum corona circumfundamur: Neqve membrorum compagem cogitare, qvin ex templò unius omnium Auguſtiſſimi Capitis fulgore perſtringamur. Ita qvippe ſe res habet in comitiis, ut, ſi Ordines aliqvid decreverint, nec Rex tamen annuat, nullum res ſortiatur effectum: Pari modo, ſi Rex qvid fieri poſtulet, neqve Ordines conſentiant, nulla vis placito ipſius ineſt; utrobiqve tamen diverſa ſubeſt ratio: Priori caſu res irrita eſt *ex defectu poteſtatis*, cum ordines univerſi ſua decreta absqve nutu & interventione Regis exeqvi non poſſint: Poſteriori verò *ex defectu conditionis*. Qvamvis enim Rex poteſtatem exeqvendi habeat, exercere tamen

men eandem neqvit, niſi prævió conſenſu Ordinum, qvi tanqvam neceſſarium antecedens reqviritur; Ut taceamus R.J. per modum conventionis fieri, in qvibus utriusq; contrahentium & Cæſaris & Ordinum conſenſus in idem placitum accedat, neceſſe eſt. Notatu digna ſunt verba Auctoris der Grundfeſte: *a)* Solte man ſich denn gar nicht vereinigen können / ſondern der Kayſer auff ſeiner / und hinwiederum die Stände auff ihrer Meynung beruhen / ſolchen Falls halten etliche davor / daß nichts deſto weniger derer Stände Gutachten für einen Reichs-Schluß zu ſchätzen / und ein Kayſer daſſelbe in dem Reichs-Abſchiede paßiren zu laſſen / und gleich andern verglichenen Puncten mit zu promulgiren ſchuldig / und keines Weges vor ſich aus Kayſerl. Macht und Vollkommenheit / (wie man ſaget) etwas widriges zu verordnen / befugt ſey. Gleich wie aber dieſes letztere als der Teutſchen Freyheit und Reichs-Herkommen allerdings gemäß / nicht ohne: Alſo iſt hingegen jenes / als dem Herbringen / und ſonderlich dem gewöhnlichen Stylo derer Reichs-Abſchiede ſchnurſtracks zu wieder / gantz unerfindlich / auch der Kayſerlichen Hoheit und Autorität nicht wenig verkleinerlich.

*a) part. 2. Cap. 5. p. m. 15.*

§. XX.

Igitur ex hactenus dictis ſatis in apricô nunc eſſe putamus, qvod Rex Germaniæ propter verum & plenum, ut & abſolutum ſecundum qvid jus majeſtaticū ipſi competens, verè poſſit dici Monarcha, & ſanô ſenſu, hoc eſt, ut ſemper & in omnibus ſalva ſint jura Statuum majeſtatica, qvæ ratione totius Imperii cum Rege tàm ἐν κτήσει, qvàm ἐν χρήσει participant, ſolus imperare dici poſſit. Reſtat, ut per ſingula majeſtatis jura eundô dictis noſtris ex ipſis LL. publicis fidem adſtruamus.

§. XXI.

Habet proindè & exercet Rex Germaniæ vi majeſta-

tis ſuæ veræ, plenæ & ſecundum qvid abſolutæ partes majeſtatis vel cum conditione, vel ſine conditione.

§. XXII.

Conditio iſta vel involvit conſociationem & conſenſum Statuum, vel aliud qviddam.

§. XXIII.

Illa, qvæ conditionem conſociationis ac conſenſus Statuum reqvirunt, iterum ſunt in triplici differentia. Vel enim explorari debet OMNIUM, vel PLURIUM, vel ELECTORUM tantum conſenſus.

§. XXIV.

Ad primam claſſem pertinent

I. Jus ſuſpendendi vel excludendi Statum Imperii à ſeſſione & votô in Imperii Collegiis, Capitul. Leopold. Art. III. Ibi: ohne der Churfürſten/ Fürſten und Stände vorhergehenden Rath und Bewilligung keinen Reichs-Stand/ der Seſſionem & Votum in denen Reichs-Collegiis hergebracht hat/ davon ſuſpendiren und ausſchlieſſen.

II. Jus LL. ferendarum, derogandarum, abrogandarum, aut interpretandarum. Art. IIX. §. 2. gaudeant. Inſtrument. Pacis Cæſareo-Svecici. Ibi: *Ubi LL. ferendæ & interpretandæ.* Capit. Leopold. Art. 2. Ubi: Des heiligen Reichs Ordnungen und Geſetze/ mit Rath und Conſens unſer/ und des heiligen Reichs Chur-Fürſten/ Fürſten und anderer Stände/ wie das des Reichs Gelegenheit iederzeit erfodern wird/ beſſern. Sicuti autem executio decretorum Statuum ſuprà ſoli Germaniæ Regi aſſeruimus: ita in ferendis legibus illa in duplici actu potiſſimum conſpicitur, nempe in *Approbatione & Promulgatione.* Sic Ferdinandus I. R. J. de Anno 1564. §. 13. Und haben wir als Römiſcher Kayſer gedachter unſerer Commiſſarien/ der Churfürſten geordneter Fürſten und Stände/ Räthe/ Befelchhaber

und Botſchafften / an ſtatt und von wegen gemeiner Stände ſolche Berathſchlagung / Vergleichung und Beſchluß uns gnädiglich wolgefallen / dieſelbigen approbiret / bekräfftiget und beſtätiget / und in dieſen als unſern und gemeinen Stände Abſchied ſtellen / ſetzen / und in das Reich teutſcher Nation gemeiniglich auskünden laſſen: Qvæ verba eodem ferme tenore repetuntur §. 44. Nec non Maximilianus II. Imperator in R. J. de Anno 1571. §. 7. Dieweil wir den uns angeregt ihr wohlerwogen Bedencken uns allergnädigſt gefallen laſſen / haben wir daſſelbige als einen gemeinen Reichs-Schluß aus Kayſerlicher Autorität adprobiret / und durch dieſen als unſern und aller Stände Abſchied jedermänniglich verkündigen und publiciren laſſen. Certè hæc ipſa promulgatio non eſt nuda vel vicaria ſaltem, qvaſi per eam Rex Germaniæ nil niſi præconem Statuum ageret, ſed vere majeſtatica, hoc eſt cum vi ſuperioris inferiores ad ea, qvæ concluſa fuerunt, obligandi conjuncta. Hoc eqvidem non negamus, qvod in omnibus Imperii Receſſibus Imperator ex una & Status ex alterâ parte ſe habeant ut contrahentes & paciſcentes, ut videre eſt ex omnibus Receſſuum clauſulis, potiſſimum de An. 1654. adeoq; qvatenus Imperator & Status per hanc conventionem ſociantur ad unum finem, ſolô jure Naturæ, qvod pacta ſervare præcipit, obligantur, cujus deinde effectus hic eſt, ut, ſi qvidam contra conventionis placita temerè peccet, non ſolum à majori parte admoneri, ſed etiam ad ſervanda, qvæ communi omnium ſuffragiô ad ſalutem totius Reipublicæ concluſa fuerunt, cogi poſſit: Idqve non ex jure qvodam, qvod major pars in ipſum habeat, tanqvam ſuperior ergà inferiorem, ſed ex illa Naturæ lege, qvæ vult, partem omnem, qvà pars eſt, ordinari ad bonum totius, & ſimul majori parti jus dat ab eô, qvi conventioni ſtare



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-7864-p0027-7

recuſat, ſatisfactionem exigere. Verum enim verò hæc pacta inter Cæſarem & Status in ſuô nomine & naturâ non ſtant, ſed tranſeunt in legem, cùm huic ipſi juris naturalis vinculo, qvo Imperator & Status, utpote paciſcentes tenentur, vinculum qvoqve juris civilis accedat, qvô ſcil. ſinguli Statuum, utpotè inferiores, obligantur Regi Germaniæ, tanqvam ſuperiori. Hic enim in ipſa promulgatione Receſſuum aliorumqve Edictorum vim ipſis legalem cum effectu imprimit, *a*) eorumq; obſervantiam ſingulis Statibus, qvi ſemetipſos invicem, utpote pares, *civiliter* obligare non poterant, ex plenitudine poteſtatis, additâ nonnunqvam pœnali ſanctione injungit. Ita enim R. J. de Anno 1654. §. 7. Setzen demnach / ordnen / wollen und gebieten allen und ieden hohen und niedrigen / geiſtlich- und weltlichen / ohne und mittelbahren / ſie ſeynd Stände des Reichs oder nicht / und dahero ſo wohl unſern / als der Stände / Räthen / Beamten und Officirern / als allen unſern und des heiligen Reichs / auch der Stände höhern und Niedergerichten / Richtern und Beyſitzern von beyden Religionen / ohne Ausnahm einiges Menſchens hiermit ernſtlich und bey Vermeidung deren in ermeldtem Frieden-Schluſſe beygefügter Straffen und Poenen / & in dicto Executionis de Anno 1648. hæc occurrunt: Hierum ſo gebieten wir allen und ieden / Chur-Fürſten / Fürſten / Geiſt- und weltlichen ꝛc. hiermit freund- gnäd- und ernſtlich ꝛc. Clarius hoc adparet ex R. J. de Anno 1555. §. 43. Wir ſetzen / ordnen / und wollen / und gebieten / auch auff beſchehene Vergleichung von Römiſcher Kayſer- und Königlicher Macht ꝛc. Nec non ex R. J. de Anno 1576. §. 72. Derhalben auff beſchehenen Vergleichen mit den anweſenden Ständen / Räthen und Botſchafften ſetzen und ordnen wir. Jung. Inſtrument. Pac. Cæſar-Svec. Art. XVI. §. 2. & Cæſar-Gallic. §. 100. Qvæ omnia rectè jam mo-

*a*) *Maurit. diſſ. de Receſſ. Imp.* §. 27.

